

CONSILIVM CCCXLI.

In contractionem omnium digitorum pedis.

CONTRACTVS quidam inter exeundū consulebat Montanum. Ille verò de eo sic ad scholares: Iste, quem vidistis, curabitur meo iudicio, quia habet contractionem omnium digitorum pedis, quæ nihil aliud est, quàm priuatio motus dilatationis seu extensionis digitorum in pede. Illa extensio, est actus musculorum tendentium, & hoc vitium est in musculis tendentibus, non trahentibus, sicut prius dicebam per imprudentiam intereundum. Vbiq; enim fit paralytis in membro, semper in opposito fit contractio, vt patet in tortura oris, semper enim cōtractio est à parte sana. Necesse est, vt sit vitium in principio nerui tēdentis digitos omnes. Quantū ad curam, vanum est laborare, quia non potest curari. Hæc tamē dicere volui, ne vos in errore maneretis, neue errare me putaretis, cum aliter dixerim prius.

In tumore manus.

Habebat quidam tumorē maximum manus, ita quod occuparet & exteriorē, & interiorē partem pollicis. Iudicabat Montanus esse apostema, quare dicebat statim, sanguinem oportere extrahi, diuersionis gratia ex brachio altero. Sed cū audiret quatuor dies esse elapsos, colligit materiam esse fluxam, cū ferè sensit nonnihil puris collecti. Quare iussit applicari pro defensiuo supra cubitum, ex bolo, aceto, & albumine oui: locum verò affectum fomentari, & liniri cum eo quod sequitur, si fortassis resolui possit.

R. Ros. recentium,

Chamomeli recentis ana. partes æquales, decoquantur.

Teneatur manus in isto decocto tepido, donec refrigerentur. Deinde ex oleo ros. chamemil. ana partes æquales, liniatur locus cū applicetur, & debile ligetur.

CONSILIVM CCCXLII.

De puero patiente in pede tumorem, & vlcus, Anno 1545. Kal. Iunij.

ASVS ex relatione Frisimelicæ. Nūc tertius agitur annus, ex quo hic puer incidit in febrem, quæ durauit duos menses, & erat phlegmatica ex inordinato victu contracta. Curatus ita, vt videretur se meliusculè habere per hyemem. In Vere iterum malè se habuit, & in Aprili superuenit tumor pedis. Factæ frictiones, & adhibita emplastra, absq; eo quod purgaretur totum corpus, plurima materia eò confluxit. Postmodum purgatum corpus, & apostema ad suppurationē ductum, varijs auxilijs & ligaturis tandem apparente suppuratione cum aperiretur ferro, exiuit nescio quid puris, patiebatur grauissimos dolores, vt decumberet & videretur moriturus: postea tamen meliusculè habuit. Ideo huc venit quærens auxilium.

MONTANVS.

Est vlcus manifestum, & videtur quiddā compositum. Nam præter solutionem continui adest mala complexio propter colorē indicantem humores adustos aggregatos, ibi facientes malam intemperiem. Est præterea caro superflua, & non naturalis, tollenda potius, quàm curanda. Est & alia compositio mala, scilicet tumor. Et est dubium, an vlcus sit cacoetes & malignum, hoc non constat, & tamen augetur dubitatio. Quædam enim attestatur esse profundam solutionem, quia

B impeditur motus directionis pedis, cū tamen pes ipse non intumuerit. Dubitatur igitur, si incisa, corrosa, aut apostemata sit ea chorda, propter quam non potest extendere tibiam, & an fiat ratione vlcis an propter aliam causam, videlicet affluxionis materiæ, vel propter participationem vlcis, quia est materia semper defluens, vel ex intemperie iam facta in loco, ratione cuius non concoquit alimentum delatum, propter loci debilitatem, vel propter affluxum materiæ à partibus superioribus: vt catarrhi deuenientes à capite, quia passus est in oculis, & pustulas circa caput præcedentibus diebus. Credo, quod primò & principaliter sit ex intemperie, quæ est in loco, ita vt non concoquat: deinde etiam ex superioribus, nam hepar etiam non ita concoquit vt debet. Nec ipse se exercet, ita vt solitus est. Fuit autē in plurimo motu, & ideo malè habet, quia nunc sedet semper in lecto, & quiescit, & in illa quiete

D excrementa non ita excernuntur commodè: sed defluunt ad locum imbecilliorē. Est igitur difficilis curatio, propter varietatem morbi: secundò etiam, quia corpus cacoehymicum abundat excrementis, quæ remouenda, si volumus curare solutionem cōtinui. Quid igitur agendum? Si volumus curare vlcus, opus est euacuare, vt fieri potest, & iterare etiam, & intercipere defluxum corroboracione membrorum superiorū, & defensorijs, quæ non permittant materiam defluere, vt bolo armeno, & auersionibus, cauterijs in parte superiori, videlicet in brachijs, quæ nocuentū non habent, quia facilè consolidantur, & multū iuuant. Ideo laudo, vt fiant: si enim intercipiatur materia, & exiccet, poterit melius curari. Abluatur caput aquis thymarū, vel etiam totū corpus, ita vt habeat vas, in quo poneret pedem, tamē nō humectaret, sed muniretur emplastris, vt non aqua transfret: vel si transfret, etiam fortè non noceret, quia exiccaret & abstergeret. Nutriatur postea cibus humectantibus humido substantifico, nō excrementitio. Vlcus subuenirem, primò erodentibus carnem superflua, quæ adhuc restat in vna parte, in altera remota est. Si posset reduci ad naturalem dispositionē, non remouerē: sed vereor ne possit, ideo remouerem medicamento, ex cæra, oleo, & ærugine æris, quod corrodit & cōsolidat, vt & Gal. docet: vnguentum diapalmæ laudatur etiā ab ipso Gal. ita vt eo solo ad vlcera, inflammationes, fistulas & fluxiones vti possimus, & video hæc tenus bene successisse. Si postmodum permanserit aliqua durities, poterimus vti luto S. Bartholomei post consolidationem. De Prognost. nō scio, si est corrosa chorda, non poterit extendere pedem: